





IVS GLADII 1769, 24.

DISSERTATIO
 IVRIS NATVRALIS

QVAM
 AMPLISS. PHILOS. ORDINIS
 CONCESSV

D. XXI. OCT. A C. N. CIO IDCCLXIX

DEPENDVNT

IOH. IAC. HENR. HERRMANN

A. M

VORSFELDA - BRVNSVICENSIS

I. V. CANDIDATVS ET ADVOCATVS IMMATR. SAX

ET

CAR. ADOLPHVS CAESAR

DRESDANVS I. V. CVLTOR

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFFIA

IVS. GLADII

DISERTIO

IVRIS MONASTICALIS

CAUSAS

DE

IOH. IAC. HERRMANN

A. M.

CAR. ADOLPHVS. CAESAR

LIBRARI

EX OFFICINA



A
MONSIEUR
C É S A R
PRÉMIER COMMISSAIRE
DE GUERRE
DE SON ALTESSE SERENISSIME MONSEIGNEUR
L'ELECTEUR DE SAXE
ETC. ETC.



MONSIEUR

A

MONSIEUR

CHESSAR

PREMIER COMMISSAIRE

DIESES ATTESTATIONEN

LECTEUR DE LA

UNIVERSITE DE

LEIPZIG

LE 10 DE JANVIER 1802

LE DIRECTEUR DE LA

BIBLIOTHEQUE

DE LA

UNIVERSITE

DE LEIPZIG

PREMIER COMMISSAIRE

DE LA

BIBLIOTHEQUE

DE LA

UNIVERSITE

DE LEIPZIG

PREMIER COMMISSAIRE

DE LA

BIBLIOTHEQUE

DE LA

UNIVERSITE



MONSIEUR,

Je prens la liberté de VOUS dédier ce petit ouvrage, le quel considéré en lui-même est trop peu de chose pour exprimer suffisamment et la grandeur du très-profond respect que je dois à Votre mérite, et la reconnoissance que j'ai de toutes les bontés que VOUS m'avez témoignées; mais j'espère que néanmoins elle ne manquera pas de VOUS être agréable, vû que celui qui défendra cette these avec moi, est un de VOS chers fils: ce digne fils qui fait tous ses efforts pour répondre un jour parfaitement, par ses vertus et par l'acquisition de son savoir, à toutes les espérances que VOUS avez conçues de lui avec raison. Plus je dois être persuadé que VOUS voudrés bien agréer cet ouvrage, plus je me réjouis

jouis d'avoir trouvé enfin une occasion de VOUS nommer publiquement MON FAUTEUR, pour qui jusqu'ici j'ai eu en silence le coeur rempli de reconnaissance et de dévouement. Encore, MONSIEUR, fais-je que mon frère, l'homme le plus reconnaissant, et qui VOUS est autant redévable que moi-même, ne me pardonneroit pas, si je ne le nommois ici. Nous adressons l'un et l'autre nos voeux à l'Être Suprême pour Votre félicité et pour celle de Votre chère famille. Nous nous recommandons conjointement avec Votre cher fils, notre ami, à Votre affection, dont l'heureuse possession nous sera toujours glorieuse.

J'ai l'honneur d'être avec un très-profond respect

MONSIEUR

VOTRE

à Leipzig,
ce 21 d'Octobre 1769.

très-humble et très-obéissant serviteur .
JEAN JACQUES HENRI HERRMANN.

IVS



I V S G L A D I I



De suppliciis capitalibus mira fuit superioribus temporibus disputatio, cum alii negarent illa esse in ciuitate Christiana ferenda, quippe legibus Mosaicis abrogatis; alii contenderent, capitis poenas legibus Mosaicis irrogatas, iuris naturalis esse. Quorum illi sine dubio valde imperite disputarunt, quia cum Christiani, si non Mosis, at naturae legibus obligentur, quod eos demonstrare oportebat, natura illicitum esse quenquam capite punire, id totum praeterierunt. Hi autem nullo modo potuerunt ostendere, quarum laesionum poena legibus Mosaicis vltimum supplicium esset, earum eandem esse natura. Nam quae duo speciosissima eius rei afferri argumenta possunt, eorum neutrum habet aliquid firmitatis.

Primum hoc est, quod apud nescio quem valde oratorice tractatum legi. Aut iustae fuerunt leges Mosaicae, aut iniustae. Insani est dicere, fuisse iniustas: nam datae sunt a Deo, qui est ipsa iustitia. Ergo quia iustae fuerunt, sequitur fieri

non posse, vt leges naturales omnium hominum ab illis diuersae, iustae sint. Esse autem iustas, necesse est. Non igitur diuersae ab illis esse possunt. Facile mihi est, ratiocinationem hanc vitii arguere, saltu in aliud genus facto commissi. Alia Dei iustitia est, alia hominum. Deus cum dicitur iustus, intelligitur hoc, summam eius bonitatem cum sapientia summa coniunctam esse. At homines iusti dicuntur, in Deum quidem ii, qui nihil committant, quod illius voluntati sanctissimae aduersari perspexerint; in homines autem ii, qui nihil agant, quod quiquam eorum tuendi sui causa debeat vindicare. Illa hominis erga Deum iustitia, quam internam et vniuersalem appellant, est ipsa vel pietas, vel virtus: haec hominis in hominem, quam vocant externam et particularem, proprie iustitia dicitur. Iustitia ergo Dei et hominum diuersa cum sit, non eadem: quomodo concludi potest, quia leges diuinae Mosaicae Iudaeorum peculiare iustae fuerint, ideo si leges naturales omnium hominum communes ab illis recedant, eas esse iniustas?

Alterum argumentum, quod multis in mentem venire queat, ductum est ex perpetua omnium gentium consuetudine vsurpandi ius vitae ac necis. Quasi aut semper apud omnes gentes valuerit ista consuetudo; aut non in errore aliquo vel totum genus humanum, et diu versari possit; aut nemo unquam fuerit, cui non idem quod ciuitatum rectoribus, iustum et aequum videretur. Nam primum dubitari potest, an ab initio rerumpublicarum lex vlla fuerit, quae morte quenquam puniret. Immo, vt apud Thucydidem ait Diodotus, (III, 45.) *verisimile est, grauissimis criminibus antiquitus mitiores fuisse poenas constitutas: sed cum illae temporis diuturnitate negligenter, capitula pleraque euaserunt.* Illud certe historia docet, fuisse reges et populos, qui se ab isto gladii vsu abstinere. Ipse Grotius, qui hunc vsum defendit, refert e Diodoro Siculo exemplum Sabaconis Aegyptii regis, qui poenas capitales in damnationem

nem ad opus felicissimo successu mutarit; et ex Strabone, fuisse ad Caucasum gentes quasdam, neminem vel maximi criminis reum occidere solitas. Etiam apud Saxones, maiores nostros, lex nulla quenquam, eorum duntaxat qui essent ciues, ne ob homicidium quidem ultimo supplicio affecit: sicut in Rerum Osna-brugensium Historia (§. 139.) docet Moeserus. Taceo alia plura exempla, quorum vnum recens et quasi ante oculos positum habuimus Elisabethae Russorum Imperatricis. Deinde quis nescit, maximam partem hominum semper in plurimarum vel rerum ignoratione, vel opinionum erroribus et esse versatam, et versari? Quam late, quam diu regnavit, et passim regnat falsissima opinio de spectris, de ominibus, de natalitiis praedictis, de magis et sagis, de reis non confitentibus torquendis, de seruorum liberis nascendo seruis, de religione coelibatus, vitae solitariae, ieiuniorum? Postremo extiterunt, nostra quidem aetate, maioribus ad veri scientiam progressionibus factis, homines primum ii, quorum doctrina, quemadmodum post videbimus, ciuitatis ius ultimo supplicio quenquam puniendi euerteret, quanquam illud minime in dubium ipsimet vocarent, vt Wolfius, Canzius, et Darjesius; deinde ii, qui perspecta poenarum capitalium inutilitate, haud veriti aduersariae consuetudinis antiquitatem, nec multitudinem iudiciorum contrariorum, auderent expromere sententiam hanc, mortis poenas tollendas, et earum loco alias esse usurpandas, vt Beccaria, Sonnenfelsius, et in libello de conscribendis nouis legum tabulis (§. 210 - 212.) *) Catharina Secunda Russorum Imperatrix.

Non igitur erit nobis timendum, ne quis insimulet nos aut impietatis, aut stultitiae, si quaestionis huius vel grauitate,

A 3

vel

*) Huic loco qui est e Beccaria ferme descriptus, alius eiusdem libelli antecedens, (§. 79.) ex Montesquieu hauitus ille, plane contrarius est. Sed

nos posteriorem ordine, fide priorem habendum putauimus, praesertim cum ibi Augusta disertius loquatur et asseueratius assermet.

vel difficultate, vel nouitate permoti, argumentis idoneis breuiter collectis, et quantum poterimus, ad perspicuitatem apte tractatis, demonstrare conemur, legem nullam esse iuris naturalis, per quam liceat vlli populo vlla de causa quenquam damnatum vita priuare.

Ac ne cui de talibus rebus philosophari non solito videamur obscure loqui, monemus eum, vt mentem iam abstrahat ab omni cogitatione rerumpublicarum et legum ciuilium, atque ad illud solum aduertat, quid in hoc genere de quo loquimur, iis qui extra ciuitatem degant, quorum hic status dicitur naturalis, vel iis qui in ciuitatem congressi, de legibus criminalibus ferendis adhuc inter se agant, rationis dictamen praecipiat. Iam duo in vniuersum officia homini erga hominem ratio praecribit: alterum, ne quem laedamus; alterum, vt quem possumus, quantum possumus, adiuuemus. Illud ab altero vi licet exigere; ad hoc praestandum nemo vi potest compelli. Quod patitur exactionem violentam, vocari solet perfectum; quod nullam patitur, imperfectum. Cum igitur is qui alterum laedit, iniustus; qui adiuuat, humanus dicatur: intelligitur, officium perfectum iuris esse; imperfectum, humanitatis. Vt autem humanitatis officio iuris officium continetur: sic non omnis violatio humanitatis pro iuris violatione habenda est. Non enim qui alterum non laedit, eum etiam adiuuat; sed qui adiuuat, non laedit. At nec qui alterum non adiuuat, eum ideo laedit; sed qui laedit, non adiuuat. Itaque sequitur, quidquid fiat iniuste, id etiam inhumane fieri; non autem quidquid inhumanum sit, id etiam esse iniustum.

Finge igitur, te in statu naturali viuentem, ab altero petitum, nisi resistas, laesum iri. Sane humanitatis erit, quanto possis minimo hostis malo, eius te iniuriam propulsare. Sed etiam si tu vel ira impulsus, vel territus metu, hostis necem ad te seruandum necessariam ratus, cum ea te vindicas: non ideo iniuriam illi fecisti. Nec enim qui laesurus

laesurus alterum, hunc in se armauit, laedi se ab eo queri potest. At si hostis qui te aut laesit, aut laesurus fuit, poenitentia ductus, non modo ab iniuria desistat, verum etiam paratus sit et resarcire damnum, et cauere securitati: nisi tu hanc satisfactionem accipias, et illum, qui non amplius iam hostis est, pace frui sinas, tum vero ages iniuste. Non enim ab eo tibi iam, sed ei a te infertur iniuria. Similis ratio erit, si hostem captum in tua potestate habeas. Hunc si tu, nullo in periculo amplius constitutus, neque alia necessitate vlla coactus, interficias: ius illi debitum violabis. Nam etiam si pergeret hostili animo esse, tamen, quod impotens esset hostis, citra ipsius necem satis ab eo tutus eras. Teneamus igitur, id quod principium erit omnis huius disputationis, ius necis in hostem nemini esse, nisi qui aliter quam eo necato, saluti suae prospicere non possit, hoc est, qui duorum officiorum, vnus erga se, alterius in alterum, orta collisione, minus horum prae maiori negligere debeat.

Est hoc principium ita clarum et manifestum, vt omnibus qui vnquam in harum rerum cogitatione versarentur, in mentem venire debuissent videatur. Sed nostra demum aetate philosophos illud, alium alio disertioribus verbis comprehensum et euidentius expressum, adhibere coepisse reperias. Wolfius ita: (*Iur. Nat. P. pr. §. 980. et 982.*) *In aggressorem, inquit, tantundem tibi licet, quantum laesioni arcendae satis est. Quapropter, vbi leniore modo te satis defendere potes, duriore non est vtendum.* Et Canzius: (*Discipl. Moral. §. 331.*) *Quousque id est officii nostri erga nosmetipsos, eousque lex naturae, vt hosti noceamus, permittit.* Et Dariusius: (*Inst. Iurispr. Vniuers. §. 547.*) *Defensori sui ius necis in aggressorem est, si non potest se aliter quam huius morte, in statum vindicare securitatis.* Sed hi, vt diximus, quanquam hoc principium stabilierunt, non tamen animaduuerterunt ex eo id cogi, mortis poenas legitimas nullas esse posse.

Finga-

¶ Fingamus enim iam, institui a nobis ciuitatem. Igitur in eas leges consentimus, quibus et priuata singulorum, et publica omnium obtineri salus possit. Nulla enim alia causa quenquam libertate naturali utentem potest adducere, ut sponte velit eam restringi, nisi haec, ut salutem suam habeat munitiorem: et cum singuli salui esse non possint, dissoluta vel infirmata omnium coniunctione, hanc vniuscuiusque interest salutem praefari, et stabilem permanere. Iam periculum in quod salus vel singulorum, vel vniuersorum potest incurrere, aut internum est, creatum domi ab improbis ciuibus, aut externum, foris obiectum ab hostibus ciuitatis. Pericula externa quomodo cauenda sint, nihil hic attinet dicere. Internorum autem cautio triplex est: vna, si per custodiam publicam nemo possit; altera, si nullis rerum difficultatibus quisquam irritatus, conetur; tertia, si vel studio virtutis ductus, vel grauioris mali metu deterritus, nemo velit iniuriam vllam aut singulis ciuibus priuatim, aut rei omnium communi publice inferre.

¶ Harum trium cautionum quam secundo loco numerauimus, ea quaestionem propositam non attingit. Quod est primae cautionis, ut quam diligentissima custodia publica impediat, quo minus vis improborum erumpat, in eo nihil est, quod habeat dubitationem. Rectum est enim id, quod fieri solet, ut, si hostem capere licuit, eius poena iudicio legum relinquatur. Sin aliter quam vi vis illata defendi non potuit, sane iusta erat causa caedis hostilis. Ergo tertiae cautionis pars ea quae in poenis constituendis versatur, examini erit sola subiecta. Nam illam eius alteram partem, de studio virtutis excitando et alendo, clarum est nec ipsam ad id quod quaeritur, pertinere.

¶ Finis igitur poenarum qui sit, videamus. Nam et si res non est obscura, tamen fuerunt, qui minus eam perspicerent. Editus est Lipsiae annis abhinc plus quadraginta, et in disputatione defensus Wollio praefide libellus, *De finibus poenarum civilium.*

ciuilium. Eius libelli scriptor fines constituit medios tres, et vltimum hunc, vt salua maneat legum auctoritas. Quasi leges datae sint ipsae propter se, non ob aliam causam. Hanc autem causam patet ex iis quae dicta sunt, esse communem omnium salutem et securitatem. Neque ille non hunc finem agnouit, sed, quod mirere, pro intermedio vno habuit. Potuisset eum illud quod paene in prouerbium abiit, erroris admonere: *Salus populi, suprema lex esto.* Itaque vna maxima et elegantissima Traiani laus est, cum Plinius eum in Panegyrico (LXVIII, 5.) sic alloquitur: *Anamus quidem te, in quantum mereris; istud tamen non tui facimus amore, sed nostri: nec vnquam illucescat dies, quo pro te nuncupet vota non utilitas nostra, sed fides, Caesar.* Ergo si vltimus finis est salus ciuitatis, et quicumque alii esse possunt, huic subiecti esse debent: ex eo quem vnum spectari oportet, ratio poenarum erit definienda. Sicut lex nihil vetabit, quod non reipublicae noceat: ita poenam et ex metus incutiendi, et ex vindicandae omnium salutis necessitate moderabitur. Hic est fons iuris puniendi: ex hoc in quantum poena vlla haud manat, in tantum iniusta est.

An igitur ista necessitas vnquam eiusmodi leges exigit, quae mortis poenam dicent ipsarum violatoribus reis peractis? An vlla in causa vel ad improbos deterrendos, vel ad salutem communem tuendam, reorum damnatorum extrema supplicia necessaria erunt? Ita dico, si quis legum hostis, reus peractus et damnatus est. Si enim vel perpetrato, vel in perpetrando facinore aliquis oppressus a custodia, resistens et pugnans est occisus: non haec poena fuit, sed bellum. De bello autem hic non loquimur. Etiam illud bellum est, non poena, cum in eum statum ciuitas deducta est, vt in reo condemnato et asseruato necando, vniuersae omnium salutis vel amittendae, vel recuperandae negotium agatur. Vt si perduellionis damnato viuere sito, periculum est, ne factio eius res nouas moliri pergat. Nec enim tum ideo vita illi adimitur, quia damnatus

est; sed quia, licet vincus, metuendus ciuitati hostis est propter ipsius factionis audaciam. Hoc igitur in quaestione venit, an lex eum a quo violata est, in ciuitatis potestatem redactum, nec viuum amplius metuendum, iubere possit condemnatum occidi?

Sane haud ignoramus, tantam rei cuiusque vetitae poenam esse debere, cuius inflictae dolor superet fructum ex ea re commissa perceptum. Nisi enim fortior sit metus, quomodo peccandi libidinem coercebit? Sed quia, vt ostensum est, nemini licet alterum interficere, nisi cuius in pernicie salus ipsius consistat; ciuitas autem eos quos iudicio damnatos puniit, captos in custodia tenet, qui posteaquam capti sunt, nisi perturbata respublica est, nihil periculi amplius ab eorum vita redundare in quenquam potuit: efficitur, si neque mortis metus omnium animos aut maxime, aut aequae grauius semper terret, neque damnatorum ad opus custodia ciuitatem aut ultra vires onerat, aut damno afficit, leges ciuiles mortis poena sancitas, iustas non esse.

Atqui verissimis argumentis ostendi potest, mortis metum a legibus ciuitatis propositum, non terrere homines plerosque nec vehementioribus, nec crebrioribus velut ictibus, quam libertatis amissionem, praesertim perpetuam, cui coniuncta sit vel miserae captiuitatis acerbitas, vel afflictiae seruitutis aerumnosa conditio. Egregie tractauit hanc partem Beccaria: (*De Delictis et Poenis* §. 25.) quem qui Germanice versus cum animaduersionibus edidit, fere vbicunque aduersus eum disputat, mentem eius videtur minime percepisse. Nos vnum argumentum potissimum breuiter exponemus, ita conclusum illud, vt contradictorem istum nihil dixisse appareat.

Mors est malorum omnium summum illa quidem: sed quia homo et naturali necessitate illam sibi obeundam esse intelligit, nec tempus certum ingruentis eius perspectum habet, fit, vt metu eius, nisi praesentis, cum vel ipsum, vel alium
ante

ante ipsius oculos oppressum ablatura est, minus commouetur. Nam quae mutari non possunt, quamuis atrocias sint, quo saepius cogitantur, hoc magis animus iis adsuecit; quo magis autem rei cuique animus adsuevit, hoc minus vel doloris, vel voluptatis sensu ex ea re percepto afficitur. At libertatis amissio, et seruitutis molestum atque inuisum onus, quia sunt praeter naturam, atque adeo cauere possunt, quamlibet saepe cogitentur, quam diu quidem nondum contigerunt, nunquam iis animus potest aduersere. Quoties enim cogitantur, quae semper adiuncta haeret conscientia, posse illa euitari, non finit animum pristinam offensionem deponere. Igitur ut libertas et commoditas vitae, bonum sit minus quam ipsa vita: quod ipsum ne ita quidem est plurimorum iudicio, qui vitam sine libertate vel commoditate aut nihili, aut malum etiam ducunt: et a quonam genere hominum citius iniuria oritur alteri, quam ab isto, quod vel potentiam concupiscit, vel quam commodissime voluptatibus frui studet? at amittendae libertatis et ferendae seruitutis metus, animos omnium semper acerrime pungit; mortis obeundae, indies leuius.

Obiiciat aliquis, quia mors quam lex minitetur, et violenta fit, et euitabilis, metum eius et grauiorem quam naturalis esse, neque vnquam saepius terrendo nouitatem amittere. Sane dubium non est, quin violentae mortis cogitatio attempta et grauis, animum vehementissimo concutiat metu: sed quo vehementius concutit, eo mens difficilior rariusque ad illas imagines quae illum gignant, effingendas et contemplandas reuertitur. Quo fit, ut animus in cupiditatem aliquam prolapsurus, non possit ab his imaginibus, quas praesto non habet, reuocari. Nam admonitio mortis a sola memoria facta, parum agit. Et enim quae mortis cogitatio ab illa obiicitur, ea ita et exilis est, et celeriter abit, ut mens neque amplius quidquam nisi moriendi necessitatem agnoscens, ea re ad quam pridem occalluit, minime percellatur, nec iterum atque iterum laceffita;

B 2

statim

statim eo redeat, in quo antea occupata tenebatur. Sed libertatis iactura et seruitutis calamitas, non modo ob animum versans, eum tanto implere terrore potest, quantus extinguat omnem omnis cupiditatis ardorem; verum etiam quoties opus est, cum omnibus terroris imaginibus facile animo recurrit. Nam quia non perinde totum stupore animum istae imagines opprimunt, eumque diutius agitant, repetitiones earum crebriores fieri potuerunt. Huc accedit, quod quae statuuntur mortis exempla, ea et semel tantum singula spectantur, et plerosque spectatores in quemuis alium affectum potius quam in hunc terroris, inducere solent: at seruitutis poenarum spectacula et pluribus, et eidem saepius offeruntur, nec facile menti alium praeterquam terroris affectum iniiciunt.

Neque vero illud intelligere possumus, quae tanta sit difficultas, ad opus damnatos custodire. Quod enim Canzius ait, (*lib. laud. §. 1453.*) partim fore, ut nimis cresceret multitudo ergastulorum, et reipublicae molesta esset; partim non ubique suppetere horum institutorum sumtus: id nullo modo ita esse concedimus. Primum non ideo quod est mortis poena proposita, nunc minus homines delinquant: non enim cuius animum concitatum reprimere seruitutis metus non potuerit, mortis potuerit. Deinde qui apud nos ubique fere sumtus in illa suppliciorum spectacula fieri solent, nonne in hunc in usum et fieri possunt, et satis erunt, et facti, maximum publicum fructum ferent? Non sunt ergastula in modum et magnitudinem amplorum aedificiorum exstruenda: ne consentaneum quidem est, eos qui poenam dantes, exemplo caeteris esse debebant, ex omnium oculis abstractos, parietibus inclusos teneri. Oportet seruos istos palam, et eiusmodi opera facere, in quibus occupatorum labor et miseria quam plurimis et quam frequentissime in oculos incurrat: ut sunt molium substructiones, viarum communitiones, serobum effossiones, fluuiorum deriuationes, lapidum excisiones, alia similia.

familia. Noctu in tentoriis vel tabernaculis ad tempus in quoque loco positis, victi dormient. Hodie ciuitas nulla est, quae non militem perpetuum alat: nusquam igitur desunt, qui horum feruorum et diurnam et nocturnam custodiam agant. Nam qui iurisdictionem habent, et iidem sunt ipsi ciues, cuius illi ciuitatis lege quemque damnarunt, haec eum suae traditum potestati, poenae subiicere debet.

Vicinus igitur, neutram earum causarum ex quarum alterutra ciuitati ius foret delicta gladio puniendi, locum habere. Age nunc, si quas consuetudinis patroni alias causas excogitarunt, earum praecipuas refellamus. Non enim opus est omnibus refellendis immorari, cum ipse Treuerus, qui vnus illorum patronorum fuit, in annotatione ad Pufendorfi librum *De officio hominis et ciuis*, (II, 13. §. 3.) aperte fateatur, Iurisconsultos in explicanda origine iuris poenarum capitalium anxios, ex variis principiis parum idoneis illud repetere allaborasse: nulum enim esse horum omnium, ex quo sequatur, in poenis imperantem ad vitam adimendam iuste progredi posse.

Quem igitur meliorem ac potiore aduersarium nobis constituemus, quam illum eundem Canzium, qui et acutissimi philosophi laudem omnium iudicio tulit, et causam gladii studiosissime defendit? (*lib. cit. f. 1453-1460.*) Ac primo quidem argumento illo ille vitur, quod falsum esse iam demonstratum a nobis est.

Secundo autem loco item vt alii iam ante ipsum, arguit ius necis in delinquentes ex eorum pacto ciuili: quam rationem iam a Treuero explosam, confirmare studuit, sed frustra. Quod enim ait, suae quemque vitae dominum esse, atque adeo posse in suum ipsius supplicium consentire, quoties id postulet publica salus ciuitatis: negamus, aut fieri omnino posse, vt vitae suae dominus quisquam sit; aut etiamsi esset, eam potestatem in alium vnquam translaturum fuisse; aut si transfuisset, non posse communem salutem sine praesidio cruentarum

legum obtineri. Primum nemo suae vitae dominus esse intelligi potest: repugnat enim, quenquam sponte nolle vita frui, quod cum velle tota ipsius natura iubet. Deinde, vt homo habeat potestatem viuendi et non viuendi, certe nunquam existimari potest eam in alterum sua voluntate contulisse. Nam quidquid iurium suorum homo in hominem transfudit, ob eam ipsam rem transfusum certe voluit, ne aliena iniuria prohibitus, potestatem illam viuendi minus exercere possit. Itaque vitam suam cuius exponet ille quidem periculis pro defendenda salute communi: communis enim salus est etiam sua ipsius: at in mortem certam pro aliena salute, nisi aut animo perturbatus, aut altitudine Christiana elatus, consentire non poterit: alios enim saluos esse, quomodo tandem ad eius ipsius cui occumbendum est, salutem pertineat? Postremo, etiam si ciuitas delatam ob omnibus potestatem in ipsorum vitam haberet, ostendimus iam nullo modo necessarium esse, vt qui deliquerunt, eos lex morte coerceat.

Iam tertium argumentum iuris gladii hoc est, quod idem etiam a Treuero allatum, et solum verum iudicatum erat: Quam potestatem quisque in statu naturali habuisset defendendi sui cum internecone hostis, eam illum ciuem factum, in imperium contulisse. Quid, num in statu naturali cuiquam ius est, hostem iam captum et in potestatem suam redactum occidere, nulla noua causa subnata iusti metus ex vita captiui? Non potest hoc dici: neque ipsi adeo illi hoc dicunt. Nam Treuerus, (*ad lib. laud. Pufend. II, 4. §. 4. 2.*) *Ius vitae, inquit, et necis, quod habebat quisque in hostem, eo in seruitutem redacto, cessat: nec dominus qui iam hoc ipso quod factus est dominus, isti iuri suo renuntiauit, poterit amplius pro lubitu seruo mortem inferre. Sed renasci ius illud ait, si seruus in statum hostilem redeat, violetque conditionem, sub qua dominus iuri vitae et necis renuntiarit: quod vel feroci resistetia et excussione imperii, vel fraudulenta fuga fieri posse. Canzius autem non potuit non idem pronuntiare, (lib. laud. §. 3385.)*
qui

qui et principium hoc posuisset, non grauius in hostem licere faeuire, quam exigeret ratio sui seruandi; nec putaret seruandi sui rationem a quoquam exigere, vt captiuum qui nocere ipsi non posset, necaret. Ergo de quorum ipsorum sententia nemo ius habet captiuo occidendi, nisi a cuius vita periculum sibi metuere debeat: hos mirabile profecto est sui oblitos, ciuitatis ius poenarum capitalium ex istis omnium singularibus iuribus conflatum statuisse: quasi aut plus quisquam in ciuitatem conferre potuerit quam ipse haberet; aut ciuitas quamuis tranquilla, minus etiam sibi quam herus quilibet solus, ab iis quos in seruitutem redegit, otium et securitatem, ne dicam emolumenta et commoditates, efficere queat. Sed multo magis miramur, quod hanc repugnantiam ab aliis iam animaduersam, Illustris Martinius (*Position. de iure ciuit. §. 151. seq.*) contendit nullam esse. Vt enim illi demus, et alium finem esse hominum extra ciuitatem, alium in ciuitate uiuentium; et idcirco posse rationem salutis aliam singulorum esse, aliam ciuitatis: non tamen hinc sequitur etiam illud, rationem salutis ciuili necessario exigere, vt mortis poenae statuatur. Atqui siue ciuitas possit alio modo salutis suae satis cauere: ipse negat (§. 156.) iuris naturalis esse, vt qui crimen patrarit, moriatur: ergo adhuc pugna illa subsistit iuris poenarum capitalium irrogandarum, collecti et non collecti ex iuribus ciuium singulorum. Siue necessariae sint mortis poenae ad salutem ciuilem defendendam: certe illarum irrogandarum ius ex ciuili necessitate ortum, ex alia penitus falsa origine deriuandum non erat.

Quartum Canzii argumentum hinc ductum est, quod nulla reddi possit idonea ratio, cur sola capitalis poena iure naturali prohibita sit. Atqui reddi potest, et superius a nobis reddita est, multo magis idonea illa, vt putamus, quam vlla istarum omnium quas ipse in contrariam partem attulit. Nam quibus rationibus poenam capitalem ipse arguit iniustam, eo consilio vt illas refellat: hae si paullulum inspectantur, neque refelli poterunt,

terunt, et vt per se ipsae non satis valeant, ad aliud tamen grauius momentum pro cumulo accedentes, eius grauitatem augebunt. Non licet auferre quidquam alteri, ne quod reddere quidem ei possis, multo minus quod reddere non possis, nisi cogat necessitas legem non habens. Quomodo igitur nulla tam saeua vrgente necessitate, iure vitam fonti eripiat imperans? Vita hominis cuiusque, praestantissimum ipsius est bonum: et qui de aliis bene vel male meretur, non ideo illis prodest vel obest, quod spirat, sed quod bene vel male vitur sua libertate. Quae igitur puniendi ratio haec est, quam et modum excedens, et, vt Sonnenfelsius monuit, inutilis ciuitati, cum qui peccauit, exuere isto bono, quo et maximo fruitur, et fruens, nemini obest, et non fruens, nihil amplius ne seruili quidem opera ciuitati prodesse potest? Denique seu depositurus aliquis animum sit nocendi, seu minus; siue ductus improbitatis consuetudine, siue impetu animi lapsus, peccarit; et seu grandiori, siue minus grandi maleficio commisso, deliquerit: eius rei nullum quod conueniebat, discrimen fieri potest, vbi damnatum lex iubet morte mulctari. Nam neque corrigit mors, sed tollit; et cruciatibus acuere supplicii sensum, vt doloris acerbitate morientis animus agatur in desperationem, id vero insanae tyrannorum est, non sapientiae legum ciuilium.

Vltimo argumento iuris homicidam saltem morte puniendi, vitur oraculo Dei, (*Genes. IX, 6.*) respondentis homicidas vicissim in mortis periculum esse incurfuros. Dat ille, quod Christianus Thomasius demonstraerat, oraculo isto praedici euentum, non legem praescribi. Sed tamen ait legem ex euentu concludi posse: nam tradi legem naturalem, argumentis iam a se probatam, iis quidem quae modo nulla esse ostendimus. Aut nos egregie fallimur, aut captio haec est ex postulatu principii. Quanquam si oratio facilius quam ratio errat, decebit nos virum tantum incommode potius quam inepte locutum existimare. Hoc igitur voluit, quod etiam
reliqua

reliqua ipsius verba eum voluisse confirmant. Ex oraculo intelligi, Deum velle vt ita eueniat, et gubernare varios casus qui rem eo deducant. Ergo voluntati diuinæ consentaneum esse, atque adeo legem naturalem iubere, imperia ciuitatum non expectare dum ita eueniat, sed vt ita eueniat, praestare *). At primo negamus, oraculi huius hanc interpretationem veram esse, Deo placere vt variis casibus in eum finem a se directis, et semper, et vbique ita eueniat. Non enim fieri potest, vt Deus et velit homicidas in violentæ mortis casum et semper, et vbique coniectos, et nec semper, nec vbique conicerit. Non autem nec semper, nec vbique id factum esse, quis rerum peritus negabit? Deinde si dederimus, ita rem et semper, et vbique Dei prouidentia et gubernari, et gubernatam fuisse: nulla tamen ratio est, homines aut prouidentiae diuinæ opus vel praeoccupare, vel ad certam formam restringere; aut idem sibi ius in suos aequales quod vnus Deus in homines a se creatos habet, arrogare. Quae iura enim homo alteri non cessit, nemo autem, vt ante ostensum est, ius occidendi sui cuiquam cedere potuit: in eorum vsu etiam cuius imperanti est prorsus aequalis. Postremo etiam si fingas, Deum hominibus oraculo aliquo praecepisse, vt animaduertent in homicidas poena capitali: erit nempe ius hoc non rationis, sed reuelationis. Ita Iudaei olim ius habuerunt extirpandarum nationum Palaestinarum, sceleribus et flagitiis cooper-

*) Vt iis qui Canzianum librum non habent, pateat, nos neque finxisse quidquam, et aduersarii mentem non solum penitus cognouisse, sed etiam popularius eloqui studuisse, totum locum descriptum hic dabimus: *Legem heic positam vniuersalem ferri nego: id tamen affirmo, tradi legem naturalem, quam paullo ante probauimus; ideoque ab euentu ad legem valere*

ratiocinationem. Si diuinæ voluntati consentaneum est, vt homicida in mortis periculum vicissim incurrat, non determinato ab hominibus variorum casuum euentu: quidni eidem consentaneum sit, vt homines Dei vicem in hac terra gerentes, mortem homicidæ decernant, determinato a republica statuto?

C

coopertarum: non quod illos ratio iusserit vllarum gentium a quibus laesi non essent, impietatem vlcisci; sed quod cui omnium aduersatur impietas, Deus oraculo Mofi dato, illos voluit sui iuris administratos esse.

Diluimus igitur omnia Canzii argumenta contraria. Sed cum haec hucusque scripsissemus, opportune accidit, vt Mendelsonii Phaeton, editionis recentissimae tertiae, nobis in manus veniret: quem euoluentes, incidimus forte, et illico memoria rediimus in sententias aliquas, in appendice nouae huius editionis magis explicatas, in quibus insunt, quae facile aliquis propter istius philosophi et rerum et verborum elegantia politissimi auctoritatem, nostro iudicio adhuc obstare putet. Quare vt ad exitum res tandem perueniat, age videamus, quibus argumentis quae nos amplius impediunt, mortis poenam iustam esse defendat Mendelsonius.

Iam in hoc nobis haud aduersatur, quod ait (*pag. 173. in sub. schol.*) iuris esse poenas capitales, non sufficientibus minoribus ad securitatem praestandam. In eo autem contrarius est nobis, quod negat, in omnibus causis minores ad id satis futuras. *Quin eiusmodi causae,* inquit, (*pag. 224.*) *occurrant, etsi non ita frequentes illae, in quibus ad futuras iniurias cauendas necessaria sit mortis irrogatio, dubium non est ipsi Beccariae.* Duas tantum is huiusmodi posse causas esse ait: vnā, si ciuis in custodiam datus, propter amicorum opes metum praebeat ciuitati rerum nouarum; alteram, si mortis poena improbos a peccando maxime omnium vna deterreat. Si non plures causae afferri possunt, res bene habet. Nam, vt supra monuimus, qui eum a cuius vita sibi periculum imminet, e medio tollit, is non hunc punit, sed aduersus eum sese tuetur. Latronem quis a se punitum dicat, nisi verbo abutens, quem in se inuolantem expediendae salutis causa occidit? Qui proprie dicitur puniri, eius peccatum ab eo in cuius est potestate, vt serui ab hero, ciuis a magistratu, victi a victore, ita corrigitur, vt in posterum aut memi-

memerit non peccare, aut non possit peccare. Mortis autem poenas ad improborum peccandi libidinem coercendam non maxime omnium vnas valere, nisi iam ante fatis probatum dedimus, confitebimur sane actum a nobis esse nihil. Quod igitur negat Mendelsonius (*pag. 221.*) vllam civilem societatem posse consistere, nisi vniuersa quibusdam in caussis ius habeat suorum vnius deuouendi pro communi salute: si easdem illas Beccarianas intelligit, de iis responsum est. Sin aliusmodi aliquam intelligit, vt ciuis innocentis ad auertendum commune periculum vel deditionem, vel destitutionem: clarum est, nullas huc tales caussas pertinere.

Deinde ait, (*pag. 224.*) *Quia poena crimini aequalis esse debeat, nullum autem crimina modum teneant: ideo neque modum esse, ad quem non poena possit extendi.* Ergo nullum crimen erit morte puniendum, cum et aliud maius esse possit, nec vltra mortem poena progredi possit. Verum quidni dicamus esse crimen denique aliquod summum? Perduellionis enim crimine quod aliud maius esse potest? Nam siue dominatum aliquis arripuisset, iniuriae fructus in totam ciuitatem redundaret: siue anarchia orta esset, ciuitas amplius non esset. Itaque illud iam quaeritur, an perduellis ideo quod eius crimen est summum, iure possit vita priuari, etiam si eius mors necessaria non sit ad reipublicae cautionem? Atqui nonne ipsemet dixit, poenas capitales iuris esse dum demum, si mitioribus ciuitati satis cautum non sit?

Postremo ait, (*ibid.*) *Quia cruciatum et mortem nulli certi fines disiungant, quos in vindicando iustitia sibi positos habeat: ideo si quibusdam in caussis cruciatus poena licita sit, etiam caussas esse debere, in quibus liceat mortis poenam irrogare.* Immo quia consilium aliud est cruciandi, aliud irrogandae mortis: ideo si mortem irrogare haudquaquam licet, nec licitus est cruciatus in mortem excurrens.

Putamus igitur nos in eo quod supra conclusimus, iniustus esse poenas mortem inferentes, posse tandem aliquando sine vlla dubitatione persistere. Non est bonum, veteres mutare leges: attamen siquarum inutilitas perspecta est, mutantur. Poenae mutatio, legem ipsam non variat: quanto minus haec faciendum erit, priusquam ad inutiles poenas capitales mutandas accedatur? Conveniet, reliquas aetatis nostrae laudes haec in primis augeri. Licet animaduertere, vt notat Montesquieus, (*de legg. rat. VI, 12.*) populos qui leuioribus poenis vtantur, metu earum perinde vt eos qui grauioribus, commoueri. Si perierunt boni mores, nulla poenarum seueritas ad scelera et flagitia cohibenda satis valet. Quantaecunque sit poenae asperitas, initio terrorem parit; breui non magis amplius terret cupiditatis audaciam, quam antea lenior. Quid, quod apud ciues bene moratos plus potest ignominiae, quam apud alios mortis metus? quod ob solam poenae quam lex dixit, atrocitatem, varia crimina saepe manent impunita? quod non poenae moderatio, sed, vt Cicero ait, (*pro Mil. 43.*) spes impunitatis, maxima est illecebra peccandi? Frustra igitur in poenis, quarum nulla denique sufficit magnitudo, salutis ciuilibus praesidium quaeritur, nisi aptorum institutorum vsu bonis moribus ciuitas aucta et ornata, virtutis gloriae studeat.







ULB Halle 3
003 594 440



SB







8862

IVS GLADII ^{1769, 24.}

DISSERTATIO
IVRIS NATVRALIS

QVAM
AMPLISS. PHILOS. ORDINIS

CONCESSV

D. XXI. OCT. A C. N. CIOIDCCCLXIX

DEPENDVNT

IOH. IAC. HENR. HERRMANN

A. M

VORSFELDA - BRVNSVICENSIS

L. V. CANDIDATVS ET ADVOCATVS IMMATR. SAX

ET

CAR. ADOLPHVS CAESAR

DRESDANVS I. V. CVLTOR

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA

